GODEFRIDUS ADMONTENSIS
2. Hälfte 12. Jh. Seite 119r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et mortis tue hoc solum a te lacrimis ac precibus obtinere stu
dui. ut in his paschalibus festis tua mihi non deceret consolatio. et ec
ce quid paschale sit gaudium nescio. quia te domine qui verum pascha
es elongari a me sentio. Quis revoluet nobis lapidem ab ostio
monumenti. ab ostio videlicet cordis mei lapidem duricie qui
cordi meo est appositus. quis inquam domine. timor vel amor tuus.
Si tu domine manum timoris vel amoris tui apposueris. lapidem
gravem lapidem durum cicius amovebis. Et quis ut scriptura ait.
invocavit dominum et derelictus est ab eo. Invocantibus enim et queren
tibus se clementer confestim aderit. et appositum lapidem duricie.
manu misericordie sue revoluet et amovebit. Unde sequitur. Et re
spicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus val
de. Respectu quidem divine miserationis facile amovetur mag
na duricia cordis. et tunc felix anima invisibile cordis sui
monumentum totis desideriis totis sensibus ingreditur. et hoc quod que
rebat. domino miserante invenire merebitur. Et intrantes ait euglis
ta in monumentum invenerunt iuvenem in dextris sedentem et
obstupuerunt. Iuvenis iste. visitatio inquam missa ab altissimo.
paschalis festivitatis denuntiat gaudia. et bene iuvenis dicitur
quia per hanc visitationem homo interior pia iuventute innovatur.
Et bene in dextris sedisse describitur. quia per hanc requies vere
humilitatis invenitur. vel ideo in dextris sedisse dicitur. quia fide
li anime omnia tunc in bonum cooperantur. cui etiam sinistra et perver
sa quelibet opera fiunt quasi dextera. nam stola candida quod
est innocentia. ita quasi non sint universa illius cooperiuntur peccata.
Post hanc stolam candidam. post reparatam in hac illuminatione
innocentiam. sequitur stupor nobis infirmis et negligentibus omnino
incognitus. quem hu admodum pauci norunt. qui hunc vel semel
per experientiam scire meruerunt. Stupor esse dicitur. dum quis tale
aliquid viderit vel audierit. unde per excessum mentis oblitus sui